

QX.
406.8.

*De precili estate fregit conditio[n]es abq[ue] veritate
fama condecorata.*

X 2316448



QVOD PERENNE AC IMMORTALE ESSE MERVIT
NOMEN

RICHTERIANVM,

VOLENTIBVS ET FAVENTIBVS,
EPHORO MAXIME REVERENDO, AC VTRIVSQUE ORDINIS
PATRIBVS GRAVISSIMIS,

RELIQVISQUE ITEM VIRTUTIS, AC PIETATIS
PRAECIPVE, AESTIMATORIBVS,

ET HOC ANNO S. R. CICCCXXIV, V NON. MARTIAS,
PETRVS Böhme, Freiberg.

BONVS AC DILIGENS ALVMNVS NOSTER,
IN MEMORIAM

ORATIONE, DE SALVTARI CONCORDIAE FORMVLA,
HABENDA, REVOCABIT,

QVOD ITA DECENTER AC RITE INDICAT
M. SAM. MOLLERVS, G. R.

FREIBERGAE,
LITTERIS MATTHAEI.



Vando famæ decus mulieribus, qvæ virtuti operam dant eaqve or-
nari volunt maxime, assertum est; idem, num in puerilem qvoqve
ætatem cadat, ipsamqve radiis, eodem sole accensis, illustret, por-
ro in qvæstionem venire possit? Haud facile de illis, qvi pueri
majores dicti, juvenibusqve propiores, nucibus jam pridem relicti, ad e-
gregia non modo facinora se accingunt, sed etiam, qvoniam sp̄iritus ca-
lent, ipseqve sangvis terret, ac eos periculi contemtor animus incitat, stu-
pendæ virtutis monumenta edunt, præmiaqve illis referunt debita, aliquis
dubitetur. Sed istos ego mihi propono, qvorum plerumqve, per ætatem infir-
miorem, infirmior, atq; parum opera & efficax ipsa vita est, nec talis, qvæ
magna vel intelligat, vel destinet, vel capiat, vel etiam patrare possit. Velut e-
nim suam omnia maturitatem expectant, ac arbores in primis vires antea
sibi qvasdam colligunt, qvam flore se induant, & fructus, qvorum spes agri-
colam aluit, proferant; ita non secus cum hominibus ipsis agitur, qvod non
subito illa se se vis humana exserit, sed primo in massa latet qvaf involuta
rudiore, hinc emicat paulatim, & gliscit, ac demum, opera edendo luce digna
conspicitur pariter & approbat. Sufficit proinde pueris, si, qvo natura
teruntur, vivere cum sui æqvalibus possint; sunt illi, si, qvæ appetunt, nan-
ciscantur, contenti; rebusqve nec magnis, nec arduis, sed illis modo, qvæ
sensibus eorum blandiuntur, dediti, iras facile, pro levibus noxis, colligunt
juxta & ponunt, ceterum in actionibus affectibusqve omnium inconstantis-
simi. Neqve etiam, si, qvando infirmati suæ vivunt obnoxii, ista curent
saltem, ac patientur, id ipsis fraudi esse possit; elicituren im ex his, qvæ iisdem
adhærent, labeculis, bonum illud, cuius in vita usus est præstantissimus,
qvodqve, illis penitus absterris, magis ac magis confirmatur deinde, ac præ-
valescit. Sunt vero, qvi naturæ suæ bonitate, atqve exemplis etiam rectis
disciplina qve adjuti, istis se impedimentis mature liberant; sunt & alii,
qvi, cum aut hebetioris sint ingenii, aut etiam subsidiis, per qvæ emendari de-
hebant, destituuntur, hærent, & cum pueritia ac infirmitate ista diutissime
colluctantur. Conterre aliqvid, si ab stirpe bona, bonoqve parentum san-
gvine, filii cum innocentiae existimationem, tum ipsius aliqvam virtutis tra-
hant indolem, nemo inficiabitur: accedat vero & magistrorum cura, opus
est, qvæ velut inchoatum illud opus suscipiat, suscepsumqve delineet, atqve
deinde etiam, quantum ejus fieri queat, informet. Tametsi vero in equis
juvencisqve patrum virtus est, ac alites ipsi eandem cum parente naturam
for-

sortiuntur, eundemque in pennis colorem, inque cantu vocem referunt: neque tamen id ipsum in hominibus perpetuum est, qui a stemmate deficiunt tape suo, omnemque sibia majoribus relictam gloriam evertunt. Nec minus e contrario illud fieri aliquando solet, ut vel obscuris, ignobilibus ac malis etiam filii probi proveniant parentibus: factumque esse, ut Wilhelmus I, Rex Neapolitanus, ob barbaram ingenii diritatem Mali, filiusque contra ea, inculpata morum sanctitate, Boni cognomen trahebat, historici testantur. Vid. Collenutii Histor. Neapol. L. III. Sæpe enim malorum evelluntur fibræ, si mali vivant cum melioribus, eorumque mores imitantur; bona vero suffocantur semina, his puer si applicetur, qui mali sunt, atque ab omni virtutis prave abhorrent commercio: augescunt utraqve, ubi cum suis similibus vivant, qui adolescent, ac ingenii ita sui & vitia & decora amplificant. Sed fieri etiam solet, ut veluti malitia, sic & ipsa in pueris sapientia quædam præmatura ætatem suppleat: quæ autem, quod rara admodum ac insolens est, eo ipso, dum admirationem sui concitat, famæ simul atque existimationis aliquod instar iisdem conciliat. Qvando enim isti aliquid, quasi non suum, exhibent, unde illud, quibusve auxiliis venerit? plerumque inqviritur: quod si nec arte, nec glaucomate aliquo contigisse appareat, portentosi subesse aliquid, eamque altioris indaginis rem existere, facile cognoscitur. Utrum vero quod ita præcox, durable juxta & constans semper esse soleat? ego non asseram: sunt enim, qui eo sapere puerum existimant, quod sapere nesciat; quoniam, qui puer puerili ætate non sit eadem matura, vix maturus ipse queat esse, atque ejusmodi ingeniiorum genus aut facile extingvatur deinde, aut raro ad frugem perveniat. Placent enim oculis & palato vernæ maturitatis fructus, sed nec ætatem terunt ipsi nec, invalido evanidoque nutrimento, aliquam corpori ventriculoque firmitatem præstant; ita vero & senilis ista puerorum juvat, delectatque sapientia, sed robore suo, ac animi sustentandi virtute destituitur. Tale fuit Hermogenis Sophistæ ingenium, qui in pueritia senem, inque senectute puerum egisse dicitur: talis item Carolus Crassus, cui, cum ante ætatis cursum sapientior visus esset, ætate proiecto, nepos, raro exemplo, patruo curator adjunctus est. Omnium sermone nunc trimulus ille, de quo literæ publice scriptæ mentionem faciunt. Christianus fertur Heinikenius, qui ea, tantilla ætate, doctrinæ edit specimina, quam adultiores sequuntur multi, non omnes vero, tametsi velint, quod animi quædam impotentia illud prohibet, assequuntur. Sed una illud ferunt istæ, eundem cum infirmissimi corporis, cum

tum nauseantis ita stomachi esse, ut, ab cibis abhorrens solidioribus, unus nutricis opem imploret, atque ejusdem modo opibus tenuem ac dubiam vitam valetudinemque suam sustentet. Hic enim quantum corpori decebat, tantum animo additur? sed hoc ipso nimis imperitante, haud illud, spiritibus, quibus ea, per quam homines virent, ac ipsa vegeta pariteratque acrior vita redditur, exhaustis, non potest flaccescere. Sed tamen nec rarior ille, qui se tanto molimine prodit, impetus, nec ipsum laudis, quale in pueris inventur, studium, fama, quae omnia effatur, quaeque bona sunt elogiis suis ornata, destituitur; & si præmatura virtus ea subito sæpenumero evanuit, eandem durasse etiam, ac indies vires ad auxilium suas, multis experimentis evincitur. Sexennis, apud Chironem educatus, Achilles, quem Pindarus Nem, Od. III. versibus suis celebrat, magna opera ferri brevioris jaculam vibrans, leonibus cædem molitus, aprosque coniectos ad magistrum custodemque suum apportasse dicitur. Lusum hunc ejus fuisse conatum, bene Schmidius admonet; sed & hac ratione maximi momenti negotia pueros quandoque minatos esse, atque professos, Muretus Libr. XIII. Var. Lect. c. 9. observavit. Quæ cum haud ignota Græcis essent, Olympiade XXXVIII puerorum ab illis quinqvertium instituta est, ubi palmam tulit Eutelidas Lacedæmonius. Olympiade XL iidem in cestuum pugnam admissi sunt, victore Phileta, Sibaritano; atque sic etiam temporibus proxime sequentibus rhedæ atque carpenti, itemque pancratium certamen, ac alia plura inire, ac præmia, famamque sibi præparare, cœperunt. Vid. Schmid. in Proleg. ad Pind. Trojæ ludum majorum minorumve puerorum dele&tū ipse Augustus edidit: prisci decorique moris existimans, claræ stirpis indeolem sic notescere, quanquam mox finem fecit talia edendi, questis quibusdam, lapsu debilitatos esse suos, periculumque valetudinis adiisse. Sveton. in Vit. Aug. Cap. XLVIII. Jam in schola literarum rudimentis intentum Ciceronem clarum fuisse puerum, Plutarchus commemorat. Qvarum enim ubi per ætatem capax fuit, tanta in eo eluxit indoles, tantumque inter pueros nomen ac laudem sibi comparavit, ut eorum excitati parentes ad ludum, Ciceronem æque ac ingenii ipsius acumen contemplaturi, pergerent, agrestoribus, cum cernerent, in media eos caterva, Ciceronem, honoris causa, per vias stipantes, filiis suis succensentibus. Hugonem huic, omisis aliis, addo Grotium, qui puer admodum ingentia divinioris ingenii edidit, monumenta, poeticis lusibus præcipue deditus, quibus undecennis, ita, ut clarissimum Critorum elogia mereretur, excelluit.

B.I.G.

Black

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Purple	Light Blue	Light Green	Light Yellow	Light Orange	Light Magenta	White	Light Red	Dark Grey
Dark Purple	Dark Blue	Dark Green	Dark Yellow	Dark Orange	Dark Magenta	White	Dark Red	Very Dark Grey
Dark Blue	Medium Blue	Medium Green	Medium Yellow	Medium Orange	Medium Magenta	White	Medium Red	Medium Grey
Dark Cyan	Light Cyan	Light Cyan-Green	Light Cyan-Yellow	Light Cyan-Orange	Light Cyan-Magenta	White	Light Cyan-Red	Dark Cyan

B.I.G.

8
7
6
5
4
3
2
1
0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Inches
Centimetres

QK.
406, 8.

De paucili etate fuisse crudelitas atq; virtutis
fama condecorata.

X 2316442

II f
1333

QVOD PERENNE AC IMMORTALE ESSE MERVIT
NOMEN

RICHTERIANVM,

VOLENTIBVS ET FAVENTIBVS,
EPHORO MAXIME REVERENDO, AC VTRIVSQVE ORDINIS
PATRIBVS GRAVISSIMIS,
RELIQVISQVE ITEM VIRTVTIS, AC PIETATIS
PRAECIPVE, AESTIMATORIBVS,
ET HOC ANNO S. R. CICIOCCXXIV, V NON. MARTIAS,
PETRVS Böhme, Freiberg.
BONVS AC DILIGENS ALVMNVS NOSTER,
IN MEMORIAM
ORATIONE, DE SALVTARI CONCORDIAE FORMVLA,
HABENDA, REVOCABIT,
QVOD ITA DECENTER AC RITE INDICAT
M. SAM. MOLLERV, G. R.

FREIBERGAE,

LITTERIS MATTHAEI.

